



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. Quam ob causam ferri possit Censura?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

nam citationem; Quare si post citationem Reus mutet locum, & non compareat, potest abfens excommunicari, ut notavit Abbas num. 6.

Quarto demum, censurari potest ut subditus a quovis Episcopo quicumque censuram talis Episcopi violavit, communicando, verbi gratia, cum excommunicato ab illo. Et ratio est, quia cum excommunicatus ab uno Episcopo sit ubique terrarum excommunicatus, & quilibet cum eo communicans incurrat excommunicationem minorem, poterit consequenter a tali Episcopo quilibet admoneri, & sub pœna excommunicationis majoris compelli, ne cum tali excommunicato communicet, ut patet ex cap. Statutum, de Sententia Excommunicationis in 6.

ARTICULUS IV.

Quam ob causam ferri possit Censura.

- I. Excommunicatio ferenda sententia quandoam indicitur pro culpa levi; & quando pariter suspensio, & Interdictum?
 - II. Excommunicatio major incurri potest, si imponatur ob rem de se levem, qua tamen ex circumstantiis, aut ratione finis sit gravis.
 - III. Minor excommunicatio imponitur etiam pro culpa levi; cum sit pœna levis, quatenus facile tolli potest.
 - IV. Pro peccato mere interno censura infligi non potest; Nec pro externo simpliciter levi. Potestas ferendi censuras cum resideat in hominibus, quamvis sit spiritualis, non respicit, nisi per accidens, actus internos. Cur possint peccata interna reservari; necnon vota interna dispensari? Ut puniatur censuris actus externus, debet hic de se esse
- Pars VIII.

se malus, quamvis requiratur aliquis actus internus, ut censura incurratur. Cur censuris puniri possit, qui recitat horas sine attentione, aut celebrat sine intentione consecrandi?

- V. Nequit puniri censuris peccatum, quod precise est contra ius naturale, aut divinum; nisi simul sit contra preceptum Ecclesie. Pro foro interno, ut censura incurratur, requiritur contumacia vera; pro foro autem externo sufficit presumpcia. Hinc pro peccato mere preterito censura infligi non potest, nisi inadquate; Nec sine prævia monitione, & comminatione. Ut autem declaretur quis excommunicatus, prærequiritur citatio, quando delictum non est notorium.
- VI. Etiam si Reus de Crimine sit convictus, nequit sine prævia monitione excommunicari a iudice: Hinc nequit sub excommunicatione ferenda sententia prohiberi peccatum, quod tractum successivum non habet, puta, Blasphemia.
- VII. Propter peccatum alienum potest quidem Suspensio, aut Interdictum ferri, non tamen Excommunicatio.
- VIII. Ut censura incurratur, requiritur Voluntarium sufficiens ad peccandum mortaliter; Hoc tamen non semper sufficit.
- IX. Peccatum, propter quod incurritur censura, debet esse in suo genere completum.
- X. Censura lata contra aliquid facientes non comprehendit Consules, aut Mandantes, nisi id exprimat, & Consilium, aut Mandatum influant. Quando tamen dicuntur influere? Quid si eos puniteat, anrequam effectus sequatur? Cur mandans non equiparetur in casu nostro facienti?

C

I. Cer-

I. **C**ertum est, Censuram, cum sit pœna, ferri non posse non præsupposita culpa; unde quando in conscientia nulla datur culpa, censura non incurritur; Esto in publico servari debeat ad vitandum scandalum, quando ob causam præsumptam, & legitimam inflicta est. Dubium nunc est; An possit infligi pro peccato veniali; vel pro mere interno; aut pro peccato, quod solum est contra jus naturale, aut divinum; aut demum pro peccato alieno?

Queritur itaque primo; An possit pro veniali infligi Censura?

Respondeo cum communi apud Con. dub. 8., Pal. punct. 7. Excommunicationem minorem ferri posse etiam ob culpam levem: Quod patet, quia hæc incurritur ob communicationem etiam levem in rebus civilibus cum excommunicato vitando, quæ solum est venialis: At excommunicatio major ferri non potest ob culpam levem; cum censetur pœna gravissima; & ideo ex Trid. sess. 15. cap. 3. ferri non debet, nisi ob gravissimas causas. Avila tamen 2. part. cap. 5. disp. 1. dub. 3., & Dian. part. 5. tract. 9. resol. 21. docent ex Cajet., Navar., & aliis viris doctissimis, quod quando aliquid prohibetur sub pœna excommunicationis ferendæ, tunc solum prohibeatur sub mortali, quando materia est gravis aut ex se, aut ex circumstantiis; vel quando non requiritur monitio Judicis, antequam delinquens excommunicetur, ita ut non aperte id in jure requiratur: Contra vero prohibeatur sub levi, si jus expresse requirat monitionem, antequam Judex possit excommunicare transgressorem; (sicut expresse in Trid. sess. 24. cap. 8. imponitur excommunicatio comminatoria adversus Concubinos, qui ter moniti ab Episcopo non se separaverint; Et sess. 14. cap. 8. imponitur suspensio com-

minatoria contra personas Ecclesiasticas, quæ præcedente monitione Ordinarii non gestaverint habitum decentem) Vel si materia sit levis; tunc enim quicquid sit de rigore juris, ex æquitate tamen præsumitur, non esse intentionem Ecclesiæ, quod infligatur excommunicatio ante monitionem Judicis; unde prohibitio est tantum sub levi. Ex quibus Avil. loc. cit. colligit, quod Clericis in Sacris sub mortali prohibeatur, ne assistant agitationi taurorum, quando id sub pœna excommunicationis prohibetur a Pio V.; quia materia est gravis: Quod si occulte, aut a longe assisterent, peccarent tantum venialiter, quia materia est levis.

Circa Suspensionem, & Interdictum, Cajet., & Navar. putant ferri posse etiam ob culpam levem. Con. pariter dub. 7. cum Filliuc., & Suar. disp. 4. sect. 4. id affirmant, si censentur pœnæ leves; Negant vero, si ferantur, prout communiter feruntur, ita ut sint pœnæ graves. Quod ut pateat, sciendum, suspensionem aliam esse ab officio, aliam a beneficio, aliam ab omni officio, aliam a parte officii, puta ab ordine; immo potest esse ab uno tantum ordine, vel ab aliquibus, & non ab omni. Similiter Interdictum potest esse tantum ab ingressu Ecclesiæ, vel a divinis officiis: Quare si quis suspendetur ab officio parvi momenti, aut alicui personaliter interdicere ad breve tempus participatio Sacramentorum sine reservatione talis interdicti; quia hujusmodi censentur pœnæ leves, ferri possunt ob culpam levem. Verum quia non solent communiter ita ferri, sed cum omni amplitudine, ideo censentur pœnæ graves, quæ non nisi ob gravem culpam ferri possunt. Quod si ob levem culpam ferantur, censentur invalidæ a Suar., Tol., & aliis apud Bonac. disp. 1. q. 1. punct. 3. 11. Op.

II. Oppones primo; Aliquando Canones infligunt excommunicationem majorem etiam pro culpa levi; ergo falsum est, quod solum propter mortale infligi possit. Antecedens probatur, quia in *Can. Si quis, dist. 23.* excommunicatur Clericus, qui comam nutrierat.

Confirmatur; accidere enim potest, quod incurratur excommunicatio major ob retentionem rei alienæ in quantitate levi, quod est tantum culpa levis: Nam si plures dilapident bona Petri, tollendo singuli parvam quantitatem, ita tamen ut nemo in alterius peccato participet, in tali casu singuli venialiter peccarunt, & tamen possunt omnes, & singuli cogi ad restituendum sub excommunicatione majore, eamque incurrerent non restituendo quantitatem levem, quam retinerent.

Respondeo, nego antecedens; etenim res, quæ ex se est levis, potest aliquando ex circumstantiis esse gravis, ut est nutrire comam in Clerico ob scandala, & alias circumstantias. Quod si res sit tam ex se, quam ex circumstantiis levis, procul dubio prohiberi non potest sub excommunicatione majore; & ideo censetur invalida excommunicatio, quæ ferretur contra proferentes mendacium leve, aut verbum otiosum, ut docet Bonac. loc. cit. Quando tamen prohibetur sub excommunicatione majore aliquid indifferens, puta gestatio armorum; quia materia ista supponitur esse gravis in ordine ad finem, ideo supponitur graviter, & sub mortali prohiberi, quamvis id non exprimat; atque adeo qui gestaret arma, & peccaret mortaliter, & excommunicationem incurreret.

Ad confirmationem dico, quod ex retentione rei levis in casu adducto sequatur proximo damnum grave; & ideo sub mortali prohiberi potest re-

tentio rei levis; Unde qui rem levem non restitueret, peccaret graviter, & excommunicationem incurreret, quamvis, quando singuli rem levem Petri furati sunt, non nisi leviter peccaverint. Quod si retentio rei levis non inferret Petro damnum grave, ut accidit, si reliqui omnes jam restituerint suam materiam levem, tunc ex Bonac., Cordub., & aliis; qui rem levem retineret, excommunicationem non incurreret, nec graviter peccaret, cum non esset causa damni gravis. Si tamen lata sit excommunicatio contra fures, & Titius furetur acum sartori pauperrimo, inferendo illi notabile damnum, peccavit quidem graviter ob injustam damnificationem gravem, sed non incidit in excommunicationem, eo quod furtum non fuerit rei notabilis, ut dicemus quæsit. seq. Quod si sub excommunicatione majore præcipiatur restitutio talis acus, tunc certe non restituens, præter novum peccatum inobedientiæ, excommunicationem incurreret.

III. Oppones secundo. Excommunicatio minor privat maximis bonis, videlicet receptione Sacramentorum; ergo est maxima pœna, quæ pariter ob gravem culpam possit infligi.

Confirmatur, quia minoribus bonis privat Interdictum, & aliquando etiam Suspendio, quam Excommunicatio minor, & tamen illa ferri non possunt, nisi ob culpam gravem; ergo nec ista.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam; non censetur enim maxima pœna, quod ante absolutionem a tali censura non possint recipi Sacramenta; cum possit id vetari etiam sine ulla prævia culpa; ut accidit, quando quis non jejunos non potest communicare. Præterea neque dici potest maxima pœna, quæ facili negotio tolli potest, ut est ex-

communicatio minor, a qua potest absolvere quilibet Confessarius; immo etiam quilibet Sacerdos, ut docent Nav., & Tolet. contra Suar. & alios apud Busemb.

Ad confirmationem, concessio etiam antecedente, nego consequentiam; disparitas est, quia ingressus Ecclesiæ, & alia huiusmodi, quæ per Interdictum prohibentur, etsi minus bonum sint, quam receptio Sacramenti, quod prohibetur per excommunicationem minorem, censentur tamen poena major, quia non facile tolli possunt.

IV. Quæritur secundo; An possit censura infligi pro peccato pure interno?

Respondeo cum communi negative; quia Ecclesia non iudicat de internis; cum enim ipsa sit visibilis, & sensibilis, tantum fert iudicium directe, & per se de peccatis externis, & sensibilibus; & ideo in *Cap. Christiana* 32. *quæst.* 3. dicitur: *Non habent latentia peccata vindictam*; Et in *Cap. final. de Simon.* dicitur, *Pactio procedens ex animo Simoniaci, si hic non prodatur exterius, ab Ecclesia non puniri.* Et ratio a priori est, quia ad hoc, ut culpa per censuras puniatur, debet esse cognoscibilis a puniente; animus autem internus simoniacus, nisi externo aliquo signo prodatur, ab Ecclesia cognosci non potest, atque adeo nec per censuras puniri.

Immo addo ex Suar. disp. 4. sect. 2., nec posse infligi censuram ob peccatum externum, quod ex se, & ex suis circumstantiis externis non sit graviter vitiosum, etiamsi fiat cum intentione graviter peccaminosa: Quare si feratur excommunicatio, verbi gratia, contra fures, & Titius furetur vitrum putans illud esse adamantem, quamvis graviter peccet, non incurrit excommunicationem; quia talis actus externus non est graviter vitiosus;

Et idem dicas, si quis furetur acum factori pauperrimo, ut supra innuimus.

Dices primo cum nonnullis Canonistis, & Theologis apud Suar. loc. cit., Potestas ferendi Censuras est spiritualis; ergo potest punire censuris non solum peccata sensibilia, & externa, sed etiam mere interna.

Respondeo, nego consequentiam; quia talis potestas ita est spiritualis, ut tamen resideat in hominibus, qui non possunt illam exercere nisi circa ea, de quibus possunt ipsi iudicare; Unde sicut directe, & per se potest Ecclesia solum actus externos præcipere, vel prohibere, & non nisi indirecte, & per accidens actus internos, ita pariter per censuras punire.

Hinc inferunt Vasq. tract. de Excommunicatione dub. 13., Suar., Con., & alii, quod non subiaceat excommunicationi lata contra Hæreticos, qui male sentit de fide; ita tamen, ut exterius non manifestet hæresim suam. Adverte tamen, quod si exterius manifestet, sed occultissime, ita ut a solo delinquente cognoscatur, incurrit excommunicationem; quia tale peccatum est occultum per accidens, non vero per se, ut peccatum pure internum.

Dices secundo; Potest Ecclesia reservare peccata interna, & Superior in voto pure mentali dispensare; ergo pariter punire censuris peccata interna; cum relate ad hæc omnia requiratur eadem spiritualis potestas Ecclesiæ.

Respondeo ex Bonac. punct. 3., Concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas primo est, quia tam in reservatione, quam in voto habetur deinde externa manifestatio; Et enim quando peccata reservata manifestantur, tunc negatur Confessariis inferioribus potestas absolvendi ab illis; & quando votum mentale manifestatur Superiori, tunc potest in illo dispensari.

dispensare: Contra vero peccata interna in casu nostro nunquam exterius manifestantur. Secundo ex Medina disparitas est, quia per absolutionem a reservatis, & per dispensationem votorum tollitur obligatio; per censuras vero ponitur: Potest autem Ecclesia ob actus pure internos obligationes tollere, non ponere; quia odia sunt restringenda, favores ampliandi.

Dices tertio; In *Clement. Mulcorum*, de hereticis fertur excommunicatio in Inquisitores, qui vel odio, vel spe lucri puniunt aliquem innocentem: Item multa jura, & constitutiones Pontificiæ excommunicant eos, qui scienter, aut ex præsumptione aliquid committunt; ergo per censuram puniri potest odium, & præsumptio, qui sunt actus interni.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam: Etenim in casibus adductis punitur actus externus ceteroqui ex se malus, si fiat ex odio, præsumptione, &c.: Sic quando punitur censuris retinens scienter rem alienam, aut scienter usurpans rem Ecclesiæ, non punitur scientia, (quæ est actus intellectus, non voluntatis) sed punitur actus externus malus, supposita tali scientia. Hinc sequitur, quod si Inquisitores juste aliquem reum damnarent, sed tamen ex odio, vel spe lucri, peccarent quidem, sed excommunicationem non incurrerent: Item si excommunicetur frangens jejunium ex contemptu, qui jejunium frangit, & non ex contemptu, sed ex fragilitate, aut passione, peccat, sed non incurrit excommunicationem: Sicut nec incurrit, qui jejunaret, & simul contemneret legem jejunii. Quare semper quod per Censuram punitur, est actus externus malus, quamvis aliquando requiratur aliquis actus internus ad incurrendam censuram.

Dices quarto; Si feratur censura in non audientes Sacrum, aut in omitentes Horas Canonicas, & Titius audiat Sacrum, aut recitet horas sine ulla attentione, certe censuram incurrit præcise propter carentiam actus interni: Eodem modo si præcipiatur Sacerdoti sub excommunicatione, ut semel in anno faciat Sacrum, hic tamen in faciendo Sacro non habeat intentionem consecrandi, incurrit excommunicationem; ergo puniri potest censuris actus internus.

Respondeo, concedo antecedens, & nego consequentiam; sicut enim Ecclesia in dictis casibus præcipere potest actus internos per accidens, & indirecte, quatenus scilicet spectant ad substantiam actus externi præcepti; (non enim habetur, verbi gratia, Sacrum præceptum sine intentione consecrandi) ita Ecclesia in iisdem casibus per accidens, & indirecte punit censuris actus internos, quatenus sine actibus internis non habentur actus externi præcepti. Quod si substantia actus externi præcepti posset subsistere sine actu interno, censura non incurreretur propter actum internum malum: Verbi gratia, si quis faceret Sacrum cum intentione quidem consecrandi, sed cum prava intentione, puta, ad faciendum maleficium, non incurreret excommunicationem propter hanc pravam intentionem, sed illam incurreret, si careret intentione consecrandi. Ratio est, quia quamvis uterque sit actus internus malus, intentio tamen consecrandi per se pertinet ad substantiam actus externi præcepti; unde ejus ommissio per accidens puniri potest censuris; secus vero prava illa intentio.

V. Quæritur tertio: An possit infligi censura propter peccatum, quod est dumtaxat contra jus divinum, aut naturale, puta contra furantes;

in

in quo casu nulla intervenit contumacia, & inobedientia præcepto Ecclesiastico?

Respondeo negative cum communi apud Laym. cap. 5.; Etenim unice ferri potest censura propter peccatum inobedientiæ, seu contumaciæ, per quam reus auctoritatem Ecclesiæ præcipientis, ac monentis spernere censeatur. Ratio est, quia censura est pœna instituta ad frangendam contumaciam, seu inobedientiam contra Ecclesiam: Quod patet ex illo Matt. 18. *Si Ecclesiam non audierit (seu si inobediens Ecclesiæ fuerit) sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus;* Ubi ostenditur, excommunicationem ferri propter hanc inobedientiam: Et idem dicitur de aliis censuris, ut colligitur ex *Cap. Ex pœna, de verborum significatione;* ubi duæ dumtaxat causæ censurarum adducuntur, videlicet vel quia reus citatus noluit parere Judici; vel quia iustus noluit se a commisso facinore emendare.

Adverte tamen primo ex Avil. part. 2. cap. 5. disp. 1. dub. 2., & Laym. loc. cit., ad censuram ferendam non requiri inobedientiam, seu contemptum legis formalem; ne dicamus, duplex peccatum committi ab eo, qui facit opus sub censura prohibitum; sed satis esse contemptum interpretativum, & inobedientiam generalem, quæ solet haberi, quoties aliquis transgreditur præcepta sine formali contemptu legislatoris.

Adverte secundo, contumaciam dici a verbo, Tumeo; Etenim ea affectus, quasi tumidus factus, jus aspernatur, ex *leg. Contumacia ff. de re iudicata.* Intervenit autem contumacia, quando aut fit, quod prohibetur, aut non fit, quod præcipitur sub interminatione pœnæ. Unde patet, contumaciam non esse quamcumque inobedientiam, seu transgressionem præcepti Ecclesiastici, sed esse

inobedientiam illam, quæ spernere censeatur Ecclesiam præcipientem simul, & comminantem, seu monentem.

Adverte tertio, contumaciam aliquando esse Veram; ut quando Judici præcipienti non parcerit; Aliquando esse Præsumptam, quando scilicet vel revera non habetur contumacia, vel non constat manifeste, quod adfit, sed præsumitur adesse; puta si delinquens latitet, aut impediat, ne citatio ad ipsum perveniat. Ad valorem censuræ in foro interno requiritur vera contumacia; quia hac culpa deficiente, deficit pœna illi tributa; At ad valorem censuræ in foro externo sufficit contumacia præsumpta, ut docet Filliuc. tract. 2. de censuris cap. 6., alioquin facile contemnerentur censuræ, siquidem posset allegari defectus veræ contumaciæ.

Inferitur ex dictis primo, peccatum contra jus naturale, aut divinum nunquam incurrere censuram, nisi præcedat Ecclesiæ præceptum de talibus operibus, quod per transgressionem contemnatur: Quare si sub pœna Excommunicationis prohibetur ab Ecclesia furtum, potest excommunicari fur, non ratione furti, sed ratione contumaciæ, seu inobedientiæ relate ad tale præceptum Ecclesiæ.

Neque dicas cum Cajet. 2. 2. quest. 67. art. 2.; Potest Ecclesia punire peccatum contra jus naturale, aut divinum, puta usuram, adulterium, &c.; ergo etiam propter talia peccata potest ferre censuram. Nam concessio antecedente, negatur consequentia; non enim dari potest ab Ecclesia talis pœna, quippe quæ dumtaxat propter contumaces instituta est, non propter transgressores divinatorum mandatorum.

Inferitur secundo, censuram ferri non posse propter peccatum mere præteritum, quod scilicet omnino cessavit.

favet, nullamque presentem contumaciam habet conjunctam; Verbi gratia, propter Sodomiam, aut propter blasphemiam præteritam. Ratio præter dicta est, quia censura non est pura pœna, seu vindicta, sed est pœna medicinalis ordinata ad Rei correctionem, ac medelam, seu ordinata ad hoc, ut Reus citatus, ac monitus a peccato abstat, vel pro peccato commisso satisficiat, ut dicitur *cap. Ex Parte*, juxta illud 1. ad Corinth. 5. *Ut Spiritus ejus salvus fiat in die Domini*; atqui pœna, quæ infligitur propter peccatum mere præteritum est vindictiva, non medicinalis; ergo propter peccatum mere præteritum non potest infligi censura. Quare si feratur Lex, aut statutum, quod sit ipso facto excommunicatus, qui, verbi gratia, furatur in templo, aut qui post furtum intra mensem non satisfecerit, non incurrit excommunicationem pro furto commisso in templo, qui illud ante tale statutum commiserit, vel si non possit hic, & nunc obedire Ecclesiæ, & ante mensem satisfacere.

Verum quidem est, posse Ecclesiam ad bonum regimen aliquid censuræ ferre in delinquentes in puram vindictam; non tamen censuram adæquate sumptam, in quantum censura est, ut notat Suar. num. 27.: Verbi gratia, potest Ecclesia propter peccatum mere præteritum privare ad tempus Reum humana communicatione, officio, beneficio, celebratione, aut auditione missæ, sumptione Eucharistiæ, &c., ut constat tum ex usu antiquo Ecclesiæ arcendi ad tempus peccatores ab Eucharistia, & a Communicatione fidelium, ut habetur in *cap. Prasenti 5. quest. 2.*; tum etiam ex usu Ecclesiæ recenti; cum sæpe Clerici, qui deliquerunt, etiamsi resipiscant, suspendantur per aliquod tempus ab officio, vel beneficio: Hæc

tamen non sunt censuræ, sed effectus similes effectibus censurarum; non enim deinde tolluntur per absolutio- nem, ut censuræ, sed per lapsum temporis definiti.

Inferitur ultimo, censuram infligi non posse sine prævia monitione, & comminatione. Ratio est, quia illi duntaxat dicuntur contumaces, qui spernunt Ecclesiam præcipientem simul, & mouentem, ac comminantem. Quare, ut feratur ab homine censura per sententiam specialem pro culpa præterita, aut præse, in qua reus contumaciter persistit, vel pro qua satisfacere jussus recusat, requiritur monitio canonica, & quidem triplex, prout art. seq. explicabimus; Ut incurratur vero censura lata a jure, vel ab homine pro culpa futura, satis est pro monitione ipsa lex, quæ dicat, exempli gratia: Quicumque hoc fecerit, sit ipso facto excommunicatus; Nec requiritur nova monitio, ut excommunicatus declaretur, qui deliquerit, ut habetur in *cap. Reprehensibilis, de Appellat.*; quia lex ipsa admonet, ut merito contumax censetur, qui obedire recusat. Verum tamen est, quod ut iste talis a Judice declaretur in excommunicationem incidisse, requiratur naturali jure citatio, ut possit se defendere, ex *Clem. Pastoralis 5. ceterum de re judicata*. Ita Avil., Suar. disp. 3. sect. 10., Navar. lib. 5. conf. 7.; ubi ait sine citatione, nisi causa omnino notoria sit, declarationem fore nullam. Et in *cap. Pæna, de electione* dicitur, quod *Excessus notorius examinatione non indiget*; atque adeo si notorius non sit, citationem requirit.

VI. Dubium tamen est; An quando a jure decreta est excommunicatio sententiæ ferendæ, (verbi gratia, Qui furabitur, excommunicetur) possit Judex procedere ad Censuram infligendam sine prævia monitione, si

reus

reus est plene convictus de crimine?

Afirmant Bonac. punct. 9., Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24., Avil., Abbas. Sed communius negant cum Laym. cap. 5. Suar. loc. cit. Ratio est, quia in tali casu infligeretur censura ob crimen mere præteritum; nam si reus citatus, & crimen confessus vellet ab illo desistere, & Ecclesiæ satisfacere, excommunicari non posset; cum non esset contumax. Immo absolvi deberet, si excommunicationem ipso facto incurrisset, ex cap. *Qua fronte, De appellationibus.*

Et confirmatur a Laym.; quia censura hæc non ferretur a jure, ut patet; quia est ferenda, non lata sententiæ; ergo ferretur ab homine; ergo non est satis monitio legis, sed requiritur monitio facta ab homine, ut possit reus censeri contumax saltem ordinariæ, & nisi aliud causæ gravitas, seu necessitas postulet.

Hinc recte infert Suar. num. 27., quod non possit sub comminatione censuræ ferendæ sententiæ prohiberi delictum, quod tractum successivum non habet, nec satisfaciendi obligationem parit, ut est blasphemia, sodomia, &c. Ratio est, quia cum lex in tali casu non moneat, sed expectanda sit monitio a Judice, non censetur contumax, qui blasphemat, &c.; nec per monitionem Judicis posset aut desistere a blasphemia præterita, aut satisfacere.

VII. Quæritur quarto; An possit infligi censura pro peccato alieno?

Respondeo cum communi, excommunicationem, cum sit pœna inter spirituales gravissima, ferri non posse ob culpas alienas; ut patet ex cap. *Si habes quæst.* 3. & ex D. August. ep. 75. adversus Auxilium Episcopum, qui excommunicaverat filium Capiciani cum conjuge, & tota familia, quæ non peccaverat. Suspendit

tamen, & Interdictum ferri possunt ob alienas culpas; sæpe enim imponitur Interdictum locale, & suspenditur aliqua Communitas ob delictum unius tantum, puta solius Prælati, etiam si reliqui sint innocentes; ut patet ex cap. *Si sententia, de Excommunicatione in 6.*, idque propter bonum commune, & propter terrorem ejus, qui deliquit, ut suo loco dicemus.

VIII. Quæritur quinto; quomodo debeat esse voluntarium peccatum, ut censura incurratur?

Respondeo, requiri, ut voluntarium sufficiens sit ad peccatum mortale; Aliquando tamen voluntarium, quod est sufficiens ad peccatum mortale, non satis est ad incurrendam censuram; Sic quando lex dicit: Qui temere hoc fecerit; Qui ausus fuerit; Qui præsumpserit; Qui scienter, vel ex contemptu hoc egerit, sit ipso facto excommunicatus, non incurritur censura in his casibus per transgressionem præcepti graviter peccaminosam, que oriatur ex negligentia, aut inadvertentia, aut ignorantia graviter culpabili; quandoquidem ex verbis legis requiritur voluntarium directum, & ex certa scientia censuræ. Ita Suar., Avil., & alii apud Bonac. punct. 3.

IX. Quæritur sexto; An peccatum, propter quod fertur censura, debeat esse in suo genere completum, ut censura incurratur?

Respondeo affirmative cum Avil., Suar., Sanch. Con. dub. 8. & aliis communiter; & habetur in cap. *Peperino, de Electione in 6.*, ubi dicitur, quod scienter eligentes indignum non incurrant pœnas constitutas a jure; *Nisi adeo in eo persisterint, quod ex votis eorum communis electio subsequatur.* Et ratio a priori est, quia lex pœnalis, utpote odiosa, stricte est interpretanda.

Hinc sequitur ex Con., quod qui

conatur Clericum percutere, & ab alio impeditur, excommunicationem incurrat; Et qui vulnerat aliquem lethaliter, donec moriatur vulneratus, non incurrat censuram latam in homicidam; Immo si moriatur, non tamen præcisè ex vulnere non lethali, sed ex alia concausa, nec incurritur censura; cum non præcesserit actio lethalis requisita ad censuram latam contra homicidam, ut notat Bonac. loc. cit. Similiter qui, ut obsequatur hæretico, committit actum externum hæresis sine animo hæretico, non incurrit censuram latam in hæreticos: scilicet vero si censura ferretur in committentes actum externum hæreticalem; Demum qui mittit literas continentes inhonestas ad Moniales, non incurrit excommunicationem latam in hac Diocesi contra mittentes has literas, nisi literæ ad Monialem pervenerint. Et idem dicas de similibus; nisi aliter in lege exprimat; ut de facto exprimitur in *cap. 1. de Homicid. in 6.*, ubi excommunicantur mandantes homicidium per Assassinos, etiam effectum non sequuto.

X. Queritur septimo; An censura lata contra facientes aliquid includat etiam consulentes, mandantes, &c.?

Respondeo cum communi negative; nisi aliter exprimat. Ratio est, quia odia strictè interpretanda sunt. Quod si utrumque prohibeatur sub censura, facere simul, & consulere, ut de facto sub excommunicatione prohibetur tam percutere Clericos, quam consulere, seu mandare percussorem; sicuti qui conatur percutere Clericum, re tamen vera non percutit, excommunicationem non incurrit; ita qui percussorem consulit, aut mandat, excommunicationem non incurrit, donec sequatur percussio; ut docent Suar., Valent., Filliuc. & alii apud Bonac. punct. 3. Immo nec illam incurrit mandans, & consulens, etiam si

Pars VIII.

percussio sequatur, quando mandatum, vel consilium non influxit in talem percussorem, ut docet idem Bonac. punct. 6.

Ut autem sciatur, quando mandatum, aut consilium non influunt; Notandum primo, quod si mandatum revocetur, & revocatio perveniat ad mandatarium, tunc mandatum non censetur amplius in effectum influere; unde si mandatarius percutiat in tali casu Clericum, non percutit vi, & efficacia mandantis. Hoc tamen non militat in consilio; nam etiam si consilium revocetur, adhuc post revocationem influit in effectum, si rationes adductæ subsistant, ac moveant ad talem percussorem.

Notandum itaque secundo, quod si quis ductus pœnitentia consilii dati revocet illud, quantum est in se, quamvis consilium in effectum influat, non per hoc incurritur censura, ut docent Pal. disp. 1. dub. 7., Hurt. difficult. 15., Tabien., & alii ex Innoc. in *cap. Mulieres, de Sententia Excommunicationis.* Et ratio est, quia quando sequitur effectus, seu percussio Clerici, tunc qui dedit consilium, aut mandatum, quod, quantum potuit, revocavit, vere est pœnitens, atque adeo non est contumax, nec inobediens Ecclesiæ; ergo in excommunicationem incurere non potest: Esto irregularitatem incurreret, si sequeretur homicidium: cum ad irregularitatem incurrendam non requiratur contumacia. Et idem dicas ex Hurt. loc. cit. si quis propinet venenum Clerico, & ante mortem illius veram pœnitentiam habeat; hic enim excommunicationem non incurrit, quando moritur Clericus, ex defectu contumaciæ, incurrit tamen irregularitatem.

Notandum tertio, quod quando spectatis omnibus dubitat quis, an suo mandato, vel consilio influxerit in percussorem Clerici, neque in tali

D ca-

casu excommunicationem incurrit, juxta sententiam Filliucci, Rebelli, Nav. apud Bard. disp. 6. de conscientia dubia §. 13. (nisi præsumptio stet contra mandantem, & consulentem; quia in dubio excommunicatio non incurritur; Secus dicendum de irregularitate, si sequatur homicidium, quia in jure exprimitur, quod irregularitas etiam in dubio homicidii incurritur.

Oppones cum Sylvest. V. *Excommunicatio*, & Rosel., est hæc regula juris in 6., *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*. Unde etiam de Pilato, qui solum mandavit, apprehendi Christum Dominum, & flagellari, dicitur Joan. 19. *Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*; ergo quando fertur censura in facientes aliquid, incurritur pariter a mandante, & consulente, quamvis id in jure non exprimitur.

Confirmatur, quia de facto in *cap. Mulieres, de sententia excommunicationis in 6.* habetur, eos, quorum auctoritate, aut mandato alii injiciunt manus violentas in Clericum, esse excommunicatos excommunicatione lata ab Innoc. II. in *can. si quis suadente Diabolo*; quæ tamen prædicti canonis excommunicatio solum fertur in facientes, seu in percutientes Clericum, nulla facta mentione mandantis, seu consulentis; ergo universim sicut faciens, ita mandans, aut consulens incurritur censuram.

Respondeo, nunquam qui consulit aliquid, dicitur illo pacto facere illud; Et quamvis qui aliquid mandat, aliquando æquiparetur facienti, juxta regulam adductam, *Qui per alium facit, per se ipsum facere videtur*; at in pœnalibus mandans non æquiparatur facienti, quia odia stricte interpretanda.

Ad confirmationem dico, ex vi Canonis, *Si quis suadente Diabolo,*

non esse excommunicatos mandantes percussorem Clericorum, cum de iis Canon non loquatur; esse tamen excommunicatos ex vi alterius Capituli *Mulieres in 6.*, ubi extenditur eadem excommunicatio in mandantes talem percussorem; Sicut etiam in *cap. Quanta, de sententia excommunicationis*, extenditur ad non impediētes, quando tenentur impedire. Hinc reservatio facta a Clem. VIII. illorum sex casuum, quibus nequeant Mendicantes intra Italiam extra Urbem absolvere, cum solum loquatur de percussore Clerici, non includit mandantes percussorem, aut illam non impediētes, quando ex officio ad id tenentur.

ARTICULUS V.

De forma, seu ritu in Censuris ferendis.

- I. *Ad censuram incurrendam prærequiritur contumacia, qua haberi non potest sine prævia monitione. Hac autem duplex est, Canonica, & non Canonica. Vim habet monitionis non Canonica lex prohibens aliquid sub Censura sententia lata, non vero ferenda.*
- II. *Ut quis declaretur excommunicatus, prærequiritur citatio Rei, ut possit se defendere, nisi delictum sit notorium.*
- III. *Plura requiruntur, ut quis excommunicetur. Si nulla monitio præcedat, Censura, qua infligitur, est invalida: Est vero injusta, si non præcedat monitio Canonica, saltem virtualiter irrita. Quid si Reus non inveniat? Quid si censura feratur die festivo? Quid si non feratur scripto?*
- IV. *Ad formam substantialem Censuræ plura spectant; videlicet Monitio, Citatio Rei, & quod signis externis*